



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Quæst. 910. Quid specialiter statutum circa visitationes monialium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

casu plerumque capitulum seu conventus sit suspectus, quod consenserit, juxta quod ait Innoc. in c. 18. de accus. v. Episcopo, malum caput malam præsumptionem facit de membris, adeoque tutum non sit administrationem committi Capitulo Pirh. cit. n. 26. cum Jo. and. in c. ult. h. t. n. 10. Quinto, ut visitatores posteriores diligenter inquirent de prioribus visitatoribus & eorum negligentias & excessus referant sequenti capitulo, ut juxta culpam publicè pœnam recipiant. cit. ult. §. sequentes. Sexto, ut hæc omnia ferventur quoque in monasteriis monialium quod ad ea, quæ Abbatissis & monialibus congruunt. cit. c. ult. §. ult. cum quæ statuta de abbatibus & monachis regulariter quoque servata proportione statuta censeantur de Abbatissis & monialibus: masculino comprehendente feminum, non tamen contrâ. Abb. in cit. c. ult. n. 5.

Quæst. 910. quid specialiter statutum circa visitationem monialium?

I. Resp. circa hanc visitationem in Clem. 2. h. t. statuuntur sequentia primò, ut singula monialium monasteria non exempta per Ordinarios autoritate ordinaria; exempta sedi Apostolicæ & nulli alii subjecta, autoritate apostolicâ delegatâ; exempta vero, quæ sunt prælatis Ordinum exemptorum per illos singulis annis debeant (nimirum necessitate præcepti, ut Gl. ibi V. debeant) visitari. quæ constitutio innovata Trid. Less. 25. de regular. c. 9. per cuius decretum, nulla iurisdictio concessa Episcopis in monasteria earum sedi Apostolicæ immediatè subjecta, nisi in concernentibus spiritualia, in temporalibus verò nihil agere possunt juxta declarationem Concil. lc. apud Gallemart. ibid. n. 2. uti nec ex sententiâ congreg. Concil. ut Gallemart. lc. n. 3. jurisdictionem vel autoritatem ullam ordinarii sibi possunt vindicare ex decretis Concilii Tridentini in Confessorios monialium, quæ subjectæ sunt regularibus; quamvis etiam his monialibus vi decreti Trid. dare possint confessorium, quæ nulla ratione induci possunt, ut regularibus Confessoribus confiteantur ut Gallemart. lc. c. 10. n. 1. quin & dare possint non subjectis Confessorium quem maluerint sive regularem alicujus ordinis sive sæcularem ut Idem n. 2. Secundò in cit. Clem. §. visitatores autem. exponitur officium visitantium in reformandis monialibus, si reformatione indigeant, & in specie in quibus reformari debeant. quæ vide. Tertiò §. ipsos autem. præscribitur numerus personarum quas visitatores monialium secum ducere possunt, nimirum duos Notarios, & duas personas Ecclesiæ suæ, Cathedralis vel inferioris, & quatuor alios viros honestos & maturæ ætatis, quia an debeant esse clerici, an vero possint esse laici, quamvis textus cit. Clem. non distinguat congregat. tamen Episc. & regularium teste Fagn. in c. 17. de offic. Ordinar. n. 21. prohibet laicos interesse monialium visitationi. Quarto §. ult. cit. Clem. decernit, ut si qui ipsos hos visitatores in officio suo impedire præsumserint, nisi moniti respiciant, ipso facto excommunicationem incurant, non obstantibus quibuscunque privilegiis contrariis, consuetudinibus & Statutis à qua tamen gl. fin.

hic absolvere possit Ordinarius. Quintò §. illas quoque. præcipit mulieres illas, quæ vulgo canonicæ sæculares dicuntur, & ut Canonici sæculares vitam ducunt, non tamen bonis propriis renunciant, nec professionem aliquam religionis faciunt (quales plures Parthenones Virginum nobilium sunt in Germania) per Ordinarios locorum, si exemptæ non fuerint propriâ eorum autoritate, si autem exemptæ autoritate Apostolica visitentur. Hæc autem circa illos statuendo, non incendit Pontifex eorum statutum, regulam, ordinem approbare, ut habetur in c. 43. §. penult. de elect. in 6. neque tamen etiam eam vivendi rationem damnat aut improbat Et quia propriè religioz non sunt, utpote tribus votis substantialibus non obstrictæ, licet simul in eadem domo sub una Abbatissa seu præposita vivant nulla lege clausuram servare coguntur, ut cum Azor. p. 1. l. 13. c. 9. q. 5. Pirh. h. t. n. 47.

Quæst. 911. Regulares an & qualiter præponi possint Ecclesiis, parochialibus, aut etiam habere beneficia non curata.

I. Resp. primo: quamvis jure Canonico antiquo monachi poterant parochiis & curæ animarum præfici, ut constat ex c. in parochia. c. cum pro utilitate. c. ne pro cuiuslibet. can. 16. q. 1. idque propter prædicationis officium, seu animarum curam quæ est privilegiata juxta c. quod dei s. h. t. per quod tamen hoc ipsum immutatum quod ad monachos, permissumque solis canonicis regularibus. Jure tamen novo hodierno neque monachi neque Canonici regulares aut alii religiosi ad Ecclesias parochiales aliasve curatas sæculares (nisi monasterii sint unitæ, sine Papæ dispensatione assumi possunt, nec in perpetuum, nec ad tempus ex Decreto Gregor. XIII. relato à congregat. concilii apud Sanch. l. 7. mor. c. 29. n. 71. Barbosa. in cit. c. 5. n. 3. multoque minus regulares habere possunt beneficia non curata seu simplicia Fagn. in cit. c. 5. n. 18. Pirh. h. t. n. 18.

3. Resp. secundò: monachi, dum de legitima autoritate præficiuntur Ecclesiis parochialibus secum habere debent socium ordinis sui juxta c. 2. h. t. non tamen canonici regulares, nisi quando socium commodè habere possunt juxta cit. c. 5. h. t. pro ut hoc discrimen inter utrosque statuunt gl. in cit. c. 5. v. regimen. Abb. ibid. n. 9. Sanch. l. 6. mor. c. 6. n. ult. quamvis gl. in Clem. 1. §. ad hæc V. ad claustrum. Jo. and. in cit. c. ult. & alii aliter distinguunt; nimirum, ut, si Ecclesia parochialis, cui præficiatur regularis, sive monachus sive canonicus regularis non est plene subjecta monasterio, necesse non sit ei præfectum habere secum socium sui Ordinis, secus si Ecclesia est unita monasterio eique subjecta, ita ut tunc haberet socium, si ei præfectus sit obedientiarius seu vicarius ad nutum amovibilis, utpote de quo, & non de perpetuo institutis intelligendi sunt canones qui dicunt monachos non debere singulos sive solos poni esse in parochiis, verum huic distinctioni ob stare videtur, quod c. 2. h. t. dicat: per quascunque parochias, quæ verba cum sint universalis, complectuntur etiam illas, quæ sunt extra monasteria & illis non unitæ ita cum Sanch. cit. c. 6. in fine Pirh. lc.